

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Classiques / Grammaire, 2021-2022, S2  
À rendre avant le samedi 4 décembre (casier au DSA)

### **Version latine n°1 : Proserpine disparue**

*Suite à un complot de Jupiter et de Vénus pour procurer une épouse à Pluton, celui-ci enlève Proserpine, que sa mère faisait secrètement élever en Sicile. Ignorant l'identité du ravisseur, Cérès folle de douleur part en quête de sa fille.*

Iamque soporiferas nocturna silentia terris  
explicuere uices ; laniato pectore longas  
inchoat illa uias, et sic ingressa profatur :  
« Non tales gestare tibi, Proserpina, taedas  
sperabam, sed uota mihi communia matrum  
et thalami festaeque faces caeloque canendus  
ante oculos hymenaeus erat. Sic numina fatis  
uoluimur et nullo Lachesis discrimine saeuit !  
Quam nuper sublimis eram quantisque procorum  
cingebar studiis ! Quae non mihi pignus ob unum  
cedebat numerosa parens ? Tu prima uoluptas,  
tu postrema mihi : per te fecunda uidebar.  
O decus, o requies, o grata superbia matris,  
qua gessi florente deam, qua sospite nusquam  
inferior Iunone fui ! Nunc squalida, uilis.  
Hoc placitum patri. Cur autem ascribimus illum  
his lacrimis ? Ego te, fateor, crudelis ademi,  
quae te deserui solamque instantibus ultro  
hostibus exposui. Raucis secreta fruebar  
nimirum thiasis et laeta sonantibus armis  
iungebam Phrygios, cum tu raperere, leones.  
Accipe quas merui poenas. En ora fatiscunt  
uulneribus grandesque rubent in pectore sulci !  
Immemor en uterus crebro contunditur ictu !  
Qua te parte poli, quo te sub cardine quaeram ?  
Quis monstrator erit ? Quae me uestigia ducent ?  
Quis currus ? Ferus ille quis est ? Terraene marisne

incola? Quae uolucrum deprendam signa rotarum ?  
Ibo, ibo, quocumque pedes, quocumque iubebit  
casus. Sic Venerem quaerat deserta Dione.  
Efficietne labor ? Rursus te, nata, licebit  
amplecti ? Manet ille decor, manet ille genarum  
fulgor ? An infelix talem fortasse uidebo,  
qualis nocte uenis, qualem per somnia uidi ? »  
Sic ait et prima gressus molitur ab Aetna,  
exitique reos flores ipsumque rapinae  
detestata locum, sequitur dispersa uiarum  
indicia et pleno rimatur lumine campos  
inclinatque faces. Omnis madet orbita fletu ;  
omnibus admugit. Quocumque it in aequore, fuluis  
adnatat umbra fretis, extremaque lucis imago  
Italiam Libyamque ferit. Claescent Etruscum  
litis et accenso resplendent aequore Syrtes.  
Antra procul Scyllaea petit<sup>1</sup>, canibusque reductis  
pars stupefacta silet, pars nondum exterrita latrat.

Claudien

---

<sup>1</sup> Le sujet est encore *lucis imago*.